A. D. 1909. Nr. IV.

CURRENDA

S. Congregatio Episcop. et Regular.: Decretum „Singulari quidem“ de colligendis eleemosynis Religiosarum.

Singulari quidem protectione et auxilio dignae semet exhibent mulieres illae, quae, in piis religiosisque institutis Deo se devovent, ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiae exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quaeritantes, atque egregiam eapter humilitatis, patientiae, caritatis aliarumque virtutum laudem praeseferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium prae muliebri quaeritantium indole ac hodierna humanae societatis conditione periculis haut vacet, nisi opportunis cautelis communiatur, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium nonnulis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, haec quae sequuntur statuit ac decrevit.

1. In votorum simplicium institutis opus quaeritandi eleemosynas alumnae non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quaerant, sed ipsi Christo Jesu, memores verborum ejus: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Praeterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et devotione prosequantur tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac praesidio in qualibet necessitate.

2. Iisdem votorum simplicium Sororibus non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim, in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.

3. Stipem quaesiturae extra dioecesim respectivae residentiae licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci, in quo eleemosynas quaeritare desiderant.

4. Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscunque, usquedum a legitimo Superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

5. Ordinarius loci, in quo extat domus Sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedat *a)* si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet; *b)* si

quaeritatio commode fieri potest per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occuri valeat per quaeritationem in loco, in quo Sorores resident, vel infra propriam dioecesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

6. Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas pro locorum, temporum et personarum adjunctis magis opportunas in Domino judicaverit. Licentia vero Ordinarii piae Sororum domus contineat literas vel commissorias ad parochos aliasque prudentes personas pro Sororibus quaeritantibus intra dioecesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum dioecesium pro Sororibus extra propriam dioecesim quaeritantibus. In litteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera praesto sint Sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipso Ordinario referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque dioecesi Sorores ad quaeritandum admissas protegat ac adjuvet ac sibi subditas eas haberet.

7. Quisque loci Ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eaedem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero huiusmodi licentiam exhibentibus epse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quaeritandi in propria dioecesi. Ubi autem Sorores, etiamsi utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius jubeat, opportinisque etiam mediis, si opus fuerit, compellat.

8. Superiorissae, praesertim extra locum, ubi domus habent, nunquam ad eleemosynas quaerendas mittant Sorores, nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniae summa instructas, qua, inopinato quocunque casu cogente, possint statim domum redire.

Sorores quaeritantes semper et ubique ea, qua decet modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas, aliaque loca incongrua evitent, nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro exspectandis eleemosynis. Singulae nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro praemoneant illum, cui datae sunt Episcopi litterae; eique cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium feminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, nunquam vero in domo, ubi possint in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant; quotidie de mane aliquam ex vicinioribus Ecclesiis petant, ibique Sacro assistant; singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaeritent. Elapso tempore ad quaeritandum eis praefixo, sine ulla mora ad propriam Superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas nunquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant.

secus patienter Divinae Providentiae confidant. Alias normas opportunas, quae a propria Superiorissa dari poterunt, ad amussim observent.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Martii 1896.

J. Cardinalis VERGA, *praefectus.*

A. Can. BOCCAFOGLI, *subsecretarius.*

S. Congregatio de Religiosis: Decretum quo iure et qua ratione Religiosi Sodales stipis quaeritandae ministerium obire possint et valeant.

De eleemosynis colligendis gravis quaestio, quae iam anteactis saeculis non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates. Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 Martii 1896 promulgavit Decretum *Singulari quidem,* quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanae societatis conditione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat sodalitates. Quo autem et virorum Institutis Religiosis melius provideretur, eidem Sacrae Congregationi, in plenario consessu die 8 Maii anni 1908 habito, visum est pro his quoque nonnullas apponere quaestuationum normas: quas ex Secretaria supradictae S. Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, de mandato SS. D. Nostri Pii Divina Providentia PP. X., publici iuris facit.

I. Quoad Ordines Mendicantes.

1. Regulares, qui Mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicae cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quaerere valent in Dioecesi, ubi erectus est Conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo Conventus fundationi consensum praebuerunt.

2. Si vero iidem Regulares extra Dioecesim, ubi Conventus habent, stipem quaeritare velint, Ordinarii illius Dioeceseos licentia, per suos Superiores in scriptis obtenta, indigent.

3. Ordinarii, praecipue limitrophes, hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis conventus ex quaestuatione in sola Dioecesi ubi erectus est, vivere nullimode possit, ut in parvis Dioecesibus contingere solet.

4. Quae licentia intelligitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem; quae quidem revocatio ut par est, nonnisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

5. Ut Mendicantes praefato iure gaudeant, per seipsos, non autem per personas Ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

6. Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate dequo officio quaestuationis sibi commisso. Quas litteras Parochis ultro exhibere tenentur; necnon Ordinariis, quoties ab ipsis requirantur.

7. Non licet Superioribus Regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos aetate et animo maturos; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

8. Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, praesertim extra urbem, seu locum ubi habent Conventum, seclusa gravis necessitatis causa; quo in casu quaestuarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac Fidelium existimatione omnino commendatus.

9. Porro extra locum Conventuum quaestuantes, apud Parochos, vel apud alios clericos saeculares, vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10. Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria Dioecesi, non ultra duos, si in alia eleemosynas quaerant; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, vel respective per duos menses, vitam communem iuxta Regulam et Constitutiones in Conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerunt.

11. Qui in ipso loco, ubi situs est Conventus, stipem corrogant, noctu extra propriam domum nequaquam manebunt.

12. Religiosi quaestuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant: saecularium, praesertim mulierum cuiuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant; loca suae professioni minime congrua omnino devitent; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in Religione ipsorum solita, pro viribus fideliter adimpleant.

13. Superiores Regulares, graviter onerata eorum constientia, ne omittant quaestuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas praescribere.

14. Si vero, quod absit, Regulares quaestuantes notorie deliquerint, Fidelibus scandalum praebuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, Ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire, atque etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, Superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant; quod si secus fecerint, quam primum ad Sanctam Sedem recurrat.

II. Quoad Ordines vel Instituta Religiosa non Mendicantium.

1. Religiosi sive Ordinum sive Congregationum *iuris Pontificii*, qui privilegio quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum Constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi Apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant; praeterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter iuri Episcopi derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitatis documentis probari debet.

2. Religiosi vero *qui sunt iuris Dioecesani*, opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab Ordinario loci in quo resident, tum etiam, si extra Dioecesim propriae residentiae abituri sint, ab Ordinario loci in quo stipem quaerere desiderant.

3. Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque Domo cuiusque Religiosi suae Dioeceseos Instituti, sive iuris Pontificii sive iuris Dioecesani, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare, praesertim ubi sunt Conventus Regularium nomine et re Mendicantium; nec huiusmodi Religiosis non Mendicantibus quaeritandi licentiam concendant, nisi sibi constet de vera Domus vel Pii Operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; et si necessitatibus provideri potest per quaestuationem in loco vel districtu, in quo Religiosi resident, aut intra Dioecesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

4. Ordinarius porro illius Dioeceseos, ad quam isti Religiosi aliarum Dioeceseon eleemosynas quaesituri accedant, collectas eis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc Delegatos, praeter litteras obedientiales proprii Superioris, facultatem, vel Apostolicae Sedis, si sunt iuris Pontificii, vel proprii Ordinarii, si sunt iuris dioecesani, recognoverit et huius Decreti praescriptis conformem invenerit.

Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro Missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendatitias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae Missionis et litteras obedientiales Moderatoris Generalis proprii Instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

6. Licentiam colligendi eleemosynas Ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum obedientialium sive in documento separato) tum nominibus Religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine Ordinis vel Instituti ad quod pertinent, tum loco et tempore pro quibus licentia valitura sit.

7. Licentias loco et tempore generales Religiosis huiusmodi nequaquam concedent Ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quaestuantes, sive praetextu quaestuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria Dioecesi, aut ultra duos menses si in aliena eleemosynas quaerant; neve iidem denuo mittantur nisi postquam per unum, respective duos menses, in suo Conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserant.

8. Ut Religiosi Ordinariorum facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios facere debent.


9. Ad haec et ipsi fideliter observent, quae supra pro Religiosis Ordinum Mendicantium sancita sunt, parte I., art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

10. In casu tandem, quo hi Religiosi quaestuantes contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove Fidelibus fuerint, Ordinarius loci, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coërceat et in propriam domum a suis Superioribus puniendos remittat.

Datum Romae, ex Secretaria supradictae Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Festo Praesentationis B. M. V., die 21 Novembris 1908.

FR. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*

D. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B., *Secretarius.*



Rytuał Piotrkowski z r. 1634 przez Stolicę św. aprobowany.

W tej mierze otrzymaliśmy w drodze przez X. Arcybiskupa warszawskiego Wincentego Popiela następujący reskrypt: Varsavien.

Sacra Rituum Congregatio, virgore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. tributarum, huius Ritualis Sacramentorum (quod vetusto Rituali Cracoviae edito anno 1634 conforme, a Rmo Dno Vincentio Popiel, Archiepiscopo Varsavien, exhibitum, ab eodem Sacro Consilio revisum atque emendatum est quoad ritum benedictionis Aquae S. Agathae) in Ecclesiis Poloniae usum continuari posse censuit. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 9 Septembris 1908. (subsignavit) † D. Panici Archiep. Laadicen. S. R. Secret.

Concordat cum originali. Varsaviae die 17. Marti 1909.

Officialis Generalis.

Episcopus Suffraganeus Varsaviensis:

(L. S.) † C. RUSZKIEWICZ.

Prośba o ofiary na budowę kościoła w Ociece.

Parafia Ocieka w ostatnich latach bardzo wielkie ponosiła wydatki ku chwale Bożej. Przyczyniła się do budowy Ochronki, wystawiła szkołę i plebanię, a wreszcie zabrała się do budowy nowego kościoła.

Zdumiewa ofiarność tego biednego ludu, rozprószonego po świecie za pracą, gdy się rozważy, że to jedna z mniejszych parafii w Dyecezyi.

W ciężkim roku obecnym ludność Ocieki bardzo potrzebuje pomocy na dokończenie rozpoczętej świątyni Pańskiej. Jeżeli dajemy ofiary kolektorom z obcych Dyecezyi na budowę kościołów, tem więcej godzi się nam wspierać swoich bliskich współdycezyan. Zechcą tedy Księża Proboszczowie i Rządcy parafii zachęcić lud do składania datków na swe ręce, na budowę kościoła w Ociece, celem przesłania ich następnie do Konsystorza Biskupiego.

KONKURS.

Celem stałego obsadzenia posady nauczyciela religii rzym. kat. przy szkole ludowej 5-cio kl. mieszanej w Wojniczu z poborami III. klasy płac ogłasza się niniejszem konkurs.

O tę posadę mogą się ubiegać kapłani świeccy lub zakonni wnosząc należycie udokumentowane podania za pośrednictwem dotyczącego Ordynaryatu Biskupiego do końca maja 1909.

W sprawie podręczników szkolnych do nauki religii.

Reskryptem z dnia 15. marca 1909 l. 12947, odniosła się do Nas c. k. Rada szkolna krajowa z przedstawieniem, że XX. Katecheci dowolnie zmieniają podręczniki szkolne zaaprobowane przez odnośne władze.

Przypominamy tedy XX. Katechetom, że przy nauce religii w szkołach tych tylko podręczników używać powinni, które kompetentne władze duchowne uznały za odpowiedne i których wprowadzenie do użytku c. k. Rada szkolna krajowa na podstawie porozumienia z Ordynaryatami urzędownie ogłosiła. Przypomnienie to odnosi się tak do katechizmu, jak i biblii, których XX. Katechetom zmieniać bez Naszej wiedzy i pozwolenia bezwarunkowo nie wolno.

Składki na pogorzelców Borzęcina.


Gminę Borzęcin nawiedził w nocy z 1. na 2. kwietnia wielki pożar. Czterdziestu trzech gospodarzy zostało bez dachu, bez chleba, bez ubrania i paszy dla bydła. Wielu ogień poparzył.

Nieszczęśliwych polecamy ofiarności wiernych, a zebrane składki, w tym celu prześle P. T. Duchowieństwo do Naszego Konsystorza.

Komentarz do Małego Katechizmu.

Ks. Stanisław Tempiński wypracował bardzo dobry i praktyczny podręcznik do nauki religii p. t. »Komentarz do Małego Katechizmu«, który P. T. Duchowień-

stwu, zwłaszcza XX. Katechetom polecamy. Administracya Tow. pedagogicznego we Lwowie sprzedaje tę książkę XX. Katechetom z 50% opustem, t. j. zamiast ceny 3 K. za egzemplarz bierze tylko 1 K. 50 h.



MUTATIONES INTER VEN. CLERUM.

Nominati et canon. instituti ac installati: Illustr. Rmus D. Franc. Leśniak, Canon. grem. ad Praelat. Scholast. et Rmus D. Ladislaus Chendyński ad Canonicatum grem. Capituli Tarnov.

Pane defic. provisi: R. Jos. Lenartowicz Par. in Lubcza et R. Petrus Lewandowski Par. in Źwiernik.

Constituti Administratores: R. Joannes Sępek in Lubcza, R. Stan. Nowak (sen.) in Źwiernik, R. Franc. Sikorski in Dobrków.

Translati: R. Joannes Pragłowski e Limanowa ad Wilczyska, R. Franc. Chrzanowicz e Bobowa ad Jurków, R. Jac. Wyrwa e Zassów ad Szczucin, R. Adalb. Jachna e Szczucin ad Pleśna, R. Jos. Olszowiecki e Pleśna ad Zassów, R. Ad. Kurkiewicz e Zgórsko ad Padew, R. Ant. Kaczmarczyk e Nockowa ad Zgórsko, R. Joannes Sępek e Lubcza ad Nockowa.

Institutus ad Ben. cur. in Lubcza R. Josephus Dulian.

Piis ad aram precibus commandantur.

Anima p. d. Andreae Dziatkowiec, qui d. 14 Aug. 1907, et Hieronymi Błażyński, qui d. 27 Decem. 1908 in America obiit. Societati precum adscripti.

Anima p. d. Antonii Żądło, Par. in Dobrków qui d. 21 Febr. a. c. mortuus est.

Anima p. d. Ladislai Dutkiewicz, Catech. in Nowy Sącz, qui die 5 Martii in Domino obdormivit. Soc. precum adscriptus.

Anima p. d. Michaëlis Szot, emer. Par. in Krościenko, qui die 22 Oct. 1908. Cracoviae obiit.

Anima p. d. Josephi Watzka, S. Th. D., Presb. Jub. Em. Prof. Univers. Leopol, die 6. April. 1909 mortui.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 18. kwietnia 1909.

X. Władysław Chendyński
Kanclerz

† LEON
BISKUP.

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Drukiem Zygmunta Jelenia w Tarnowie.